

horum militum, ut non solum impediatur matrimonium contrahendum, sed etiam dirimat contractum, contra Sotum, qui sine ullo fundamento oppositum dixit, in 4, d. 27, q. 4, art. 4, in fin. Ex hoc autem fundamento colligit ipse in priori quæstione, votum religionis impleri sumendo clericalem habitum Sancti Joannis; ergo idem dicere debuit de habitu militari. Quare non dubito quin votum talis religionis reservatum sit. Quod etiam tenuit Aragon., 2, 2, q. 88, art. 11; Azor, tom. 4, lib. 13, c. 4, q. 4; Emman. Roder., in Expositione Bullæ, n. 123. De voto autem sumendi militarem habitum in aliis religionibus, verisimilius censeo non esse reservatum, quia nec votum religionis, absolute factum, in illis impleri censetur, nec secundum communem existimationem tale votum censetur esse religionis simpliciter. Nec propterea nego has religiones militares, etiam quoad milites ad matrimonium habiles, esse veras religiones, quantum ad essentiam religionum; hoc enim infra examinandum est: sed solum assero habere illum qualemcumque statum religionis ita admixtum statui sæculari, et temporalibus curis ac sollicitudinibus, ut talis status, prout est in talibus personis, non possit comprehendere nomine religionis simpliciter dictæ quoad observantiam votorum, et quoad exercitium vitæ religiosæ; et consequenter per solum illum non satisfieri generali voto religionis; quod etiam ostendit communis praxis, et consuetudo; nullus enim timoratus, qui votum religionis emisit, putat se implere illud assumendo hujusmodi habitum militarem.

6. *Dubium in hac materia.* — *Prima assertio: votum ingrediendi religionem et perseverandi, est reservatum.* — Uterius vero dubitari potest circa alios modos votandi religionem, an sub hac reservatione comprehendantur. Nec disputo nunc de modo votandi conditionato vel absoluto; nam de hoc jam dictum est tractatu præcedenti, d. lib. 6 de Voto, c. 22. Sed intra latitudinem voti absoluti potest esse duplex modus votandi religionem: unus est votando tantum ingredi religionem, alter est votando perseverare, et mori in religione; hos enim duos modos communiter distinguunt auctores ut diversos; et de posteriori quidem manifestum est esse reservatum, quia est perfectum in illo ordine, quantum esse potest ex vi modi ac perpetuitatis objecti. Unde si illud non esset reservatum, nullum votum religionis intelligi posset reservatum. De voto autem priori modo facto potest esse nonnullum du-

bium, quia illud videtur solum esse votum temporale, quod non est reservatum, sicut de castitate diximus. Antecedens patet, quia votum illud solum obligat ad ingrediendum religionem, non vero ad perseverandum in illa; vel si ad hoc aliquo modo obligat, solum est sub conditione, si non displicuerit, vel non sit nimis onerosa religio, aut aliquid hujusmodi. Unde etiam ex hac parte reservatum non est, saltem ante impletam conditionem.

7. *Secunda assertio: votum ingrediendi tantum religionem, etiam et reservatum.* — Nihilominus pro certo habendum est, etiam votum illud esse reservatum; ita sentiunt omnes Doctores. Nam, licet hoc in particulari non disputent, tamen hoc ipso supponitur, quoad reservationem nullam esse differentiam inter illa duo vota, quod est manifestius, juxta sententiam eorum qui putant, illa duo vota non habere effectus distinctos quoad obligationem, quod sentit Sot., lib. 7 de Just., q. 2, art. 2, ad 3. Idem vero dicendum est, etiamsi teneamus hoc votum minus obligare quam votum perseverandi. Quod magis videtur sentire D. Thomas 2, 2, q. 189, art. 4. Et sequuntur Cajet. ibi, et communis Doctores. Ratio est, quia etiam tale votum est votum religionis simpliciter et absolute, quia in objecto illo nulla conditio a votante apponitur; simpliciter enim votat religionem, quod est votare esse religiosum; hoc autem ex se perpetuum est. Si autem in illo voto subintelligatur aliqua conditio, solum est illa quam jus ipsum apponit, scilicet, esse religiosum præmissa probatione, et ex illa, vel post illam prudenter judicando sibi religionem congruere. Conditio autem jure ipso imposita non sufficit, quominus votum absolute et simpliciter tale sit, nam quod secundum jus faciendum promittitur, simpliciter et absolute promittitur. Et hoc probat etiam consuetudo, in qua hæc reservatio fundatur; ordinarie enim votum religionis fit tantum hoc modo, et nihilominus semper censetur reservatum.

8. *Tertia assertio: votum religionis, expresse factum sub intentione ingrediendi, et probandi religionem, et exeundi, si non placuerit, est adhuc reservatum.* — Ex quo infero quod, licet tale votum expresse fiat sub intentione ingrediendi et probandi religionem, et exeundi, si non placuerit, nihilominus votum esse reservatum, quia totum hoc non excedit conditionem a jure ipso positam. Unde D. Thomas supra significat hoc votum non esse diversum a voto religionis absolute facto, sed solum ex-

placite continere quod in alio erat implicite. Sed quid si aliquis voveret religionem ingredi sumendo habitum novitiorum cum expressa intentione, ut post susceptum illum habitum non sit magis obligatus ad professionem faciendam, quam si absque voto eundem habitum suscepisset? Quidam putant tale votum esse vanum et nullum, quia ingredi religionem sine animo perseverandi non est laudabile, sed potius est nonnullum peccatum, quia tale propositum est contra finem illius ingressus. Sed in hoc distinctione opus est; fateor enim ingredi religionem cum proposito absolute exeundi ante professionem, quicquid de religione judicet post experimentum ejus, esse actum inordinatum, et contra rationem, et aliquo modo injuriosum ipsi religioni. Unde si quis voveret ingredi illo modo, conjungendo, scilicet, illa duo in objecto voti, votum esset illicitum et nullum, saltem quoad alteram partem, scilicet, habendi in ipso ingressu propositum exeundi. Nam quoad aliam, scilicet, quoad obligationem ingrediendi, videtur esse validum tale votum, quia illæ sunt duæ partes, vel duo actus, qui per accidens conjunguntur, in quibus locum habet illa regula: Utile per inutile non vitiatur, sicut communiter dicitur de voto eundi Hierosolymam modo aliquo indecente, aut impossibili. Nam tunc, secluso modo, videtur obligare ad substantiam actus; de quo in superioribus dictum est. In præsentem autem probabile est tale votum esse nullum, quia intentio votantis esse videtur obligare se ad illum modum ingrediendi, et non alias. Et quoad rem præsentem spectat, si validum esset, profecto non esset reservatum, quia revera non est votum religionis, sed solum induendi pro aliquo tempore habitum religionis. Longe tamen diversum est votum supra positum, scilicet, ingrediendi religionem absque ulla obligatione perseverandi in illa; nam hoc sine dubio est bonum et validum votum; non enim excludit propositum perseverandi, sed obligationem, quod longe diversum est. Imo non videtur multum diversum hoc votum, ab illo quod est de religione absolute, vel ab illo quod est cum expressa conditione probandi et experiendi an religio expediat. Solum in hoc ultimo modo declaratur, quod hæc probatio et experientia futura sit tam libera, tamque sine obligatione vel scrupulo, ac solet esse in his qui ingrediuntur sine voto, quæ conditio non est illicita, nec imprudens, quia ille modus ingrediendi religionem licitus est; ergo obligare se ad illum

præcise non est malum; est ergo obligatorium, ut non impediatur majus bonum, sed potius ex se possit ad illud conferre. Quare etiam censeo hoc votum esse religionis simpliciter, atque adeo reservatum, quia est absolute de ingressu religionis, retento integro privilegio juris, quod non minuit veram rationem voti religionis. Nec potest dici tale votum esse temporale, quia, licet positive non includat perpetuitatem, non tamen excludit illam, imo, quantum ex se est, tendit ad illam; et hanc doctrinam tenet Paludanus, in 4, dis. 38, quæstione quarta, articulo quarto; nam, licet sæpe ibi appellet hoc votum religionis temporale, tandem concl. 5, in fin., concludit esse reservatum Papæ, et fatetur inter perpetua computari, quia potest esse perpetuum, et ad hoc tendit. Refertque praxim Romanam esse, ut nec summus Pœnitentiarius in eo possit dispensare ordinaria potestate, qui tamen non minorem potestatem habet quam Episcopi. Quod sequitur Antonin., 2 p., tit. 14, c. 2, § 9, *Votum*, 4, vers. 6.

## CAPUT VIII.

UTRUM HOC VOTUM QUOAD GRADUM ARCTIORIS RELIGIONIS SIT ITA RESERVATUM, UT NEC AB EPISCOPO, NEC AB ALIO SUMMO PONTIFICE INFERIORI DISPENSARI SEU COMMUTARI VALEAT.

1. *Ratio dubitandi proponitur.* — Nunc dubitatur an votum de aliqua religione stricta sit secundum se totum reservatum, vel possit quoad gradum per Episcopum dispensari, scilicet, ut in religione laxiori impleatur. Ratio dubitandi esse potest, quia hæc vota non tantum sunt reservata quoad dispensationem, sed etiam quoad commutationem, ut suppono ex communi sententia et communi consuetudine. Sed illa est commutatio quædam adjuncta dispensatione; ergo non potest fieri auctoritate inferioris circa votum reservatum. Unde Navarr., Comment. 4 de Regular., n. 10, ait tale votum de aliqua religione determinata non posse commutari in religionem etiam æqualem, nisi a Summo Pontifice, vel de ejus auctoritate. Quod ipse probat, quia superior religionis non potest talem commutationem facere, quia nondum habet jurisdictionem in eum qui tale votum emisit. Quæ ratio quoad dispensationem ad laxiorem efficaciter probat, tam de superiore illius religionis, de qua factum fuerat votum, quam alterius, in quam desideratur commutatio, nisi fortasse ad hoc

habeat speciale privilegium, ut multi habent, qui jam tunc auctoritate Papæ dispensant. Non probat autem ratio illa de Episcopo, cujus nullam mentionem Navarrus fecit. De illo autem solo potest esse dubium, quia ille adhuc est jure communi proprius prælatus ejus, qui tale votum emisit, sub Pontifice Summo; et quoad commutationem in religionem æqualem de neutro forte sufficienter constabit.

2. *Communior sententia docet votum strictæ religionis non esse reservatum.* — Est igitur communior sententia, votum strictæ religionis quoad gradum ejus non esse reservatum, sed per Episcopum posse dispensari, ut in laxiori impleatur. Ita tenet Palud., in 4, d. 38, q. 4; et Antonin., 2 p., tit. 11, c. 2, § 9; Sylvest., verb. *Votum*, 4, q. 3, § 6; et expresse id consilii Navarr., cons. 41, de Voto; et sumitur ex eodem, d. comm. de Regular., n. 22; et idem tenuit Sot. et refert Emmanuel Roder. supra; Henriq., lib. 7 de Indulgent., c. 30, § 6, littera E. Plures statim referam. Fundamentum est, quia talis dispensatio non est in voto religionis; solum dicitur dispensari cum aliquo in voto religionis, quando ei conceditur ut libere possit in sæculo remanere: nam si manet ligatus, vel ad religionem in communi, vel ad aliquam in particulari, non potest dici simpliciter dispensatus in voto religionis. Ergo talis dispensatio reservata non est, quia tantum votum religionis est absolute reservatum. Et confirmatur ex primario fine hujus reservationis, qui est favor status religiosi quatenus talis est, non asperitatis aut rigoris religionis. Unde reservatio voti religionis per se solum est, ne homines facile cadant aut desistant a statu religionis. Confirmatur denique, quia hæc sententia usu recepta est; unde non est dubium quin sit probabilior, et practice secunda. Longe autem certius est, commutationem hanc non esse reservatam, quando fit in æqualem religionem; imo tunc non solum auctoritate Episcopi, sed etiam minori fieri posse existimo, quod patebit ex dicendis.

3. *Instantia allata solvitur.* — Sed contra dictam resolutionem fieri potest objectio; nam sequitur posse Episcopum dispensare etiam cum persona jam facta religiosa et professa, ut ad laxiorem religionem transeat, quod videtur falsum. Sequela probatur, quia etiam illa non esset dispensatio in voto religionis, sed in asperitate et rigore talis religionis. Minor autem patet, quia alias posset Episcopus dispensare cum religioso, ut retento statu, vel etiam habitu extra claustrum viveret, etc.,

quia per hoc non dispensaret in voto religionis, sed in quibusdam observantiis ejus. Ut hæc difficultas alicujus sit momenti, procedere debet de religiosis non exceptis a jurisdictione Episcoporum; nam in exemptos non habet jurisdictionem, et ita facile negatur sequela argumenti. Et ratio differentiae est, quia ante professionem persona est subdita Episcopo, et ideo potest cum illa dispensare; post professionem vero jam non est subdita, et ideo jam non potest dispensare cum illa, non propter reservationem voti, sed propter mutationem fori. Recte autem probat argumentum de religioso novitio ante professionem; nam, licet habeat votum illius religionis, cujus habitum gestat, etiam directe factum ad perpetuo permanendum in illa, potest Episcopus cum illo dispensare, ut ad laxiorem transeat, quia novitius adhuc est sub jurisdictione Episcopi, quæ licet, durante novitiatu, videatur esse suspensa, tamen quoad ea quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, et pendent ex libera voluntate ipsius novitii, potest habere suum usum; nihil enim est quod impediatur, supposita rationabili causa; hæc enim conditio semper in hac materia intelligitur, ut jam dixi.

4. *Juxta multorum opinionem Episcopus potest in hoc voto dispensare cum religiosis sibi subditis.* — Et similiter Prælati respectu suorum subditorum. — Difficultas ergo posita procedit de religiosis subditis Episcopo; et cum eadem proportionem locum habet in exemptis respectu suorum prælatorum, quos loco Episcoporum habent. Multi ergo Doctores concedunt id quod in argumento inferitur, scilicet, Episcopum posse dispensare cum religioso, verbi gratia, cum moniali sibi subdita; citatur Innocentius, in c. ult. de Renuntiati., et in c. *Dilectus*, de Temp. ord. Et idem sentit Panorm., in c. *Significatum*, de Regular., n. 11, ubi Abbas etiam antiquus idem dicit; restringit tamen hoc ad eos qui ante majorem ætatem, scilicet 25 annorum, professionem fecerunt. Et in eodem sensu citat sententiam Innocentii. Idem tenuit Hostiens., in c. *Non est*, de Regular., qui expressius idem dicit de prælato religionis habente jurisdictionem Episcopalem, ubi Panormitanus etiam, num. 6, simpliciter et sine restrictione approbat sententiam Innocentii, quam tenet etiam Archid., c. *Monachum*, 20, q. 1, n. 5. Et eandem sequuntur Palud., Anton., et Sylv. supra, qui solum aiunt, necessarium esse consensum capituli, ut prælatus possit talem dispensationem concedere, quod non probat. Ratio au-

tem esse videtur propter jus quod religio habet acquisitum in talem personam. Fundamentum autem hujus sententiæ est, quia Episcopus in dispensatione votorum potest quidquid ei non prohibetur, ut supra diximus; sed hæc dispensatio ei non prohibetur; nullo enim jure id cantum est. Quin potius, in d. c. *Significatum*, de Regular., hoc ei concedi videtur. Ergo. Et ita ad objectionem factam juxta hanc sententiam responsio erit concedere sequelam, quæ argumento etiam ibi facto suaderi videtur, quia non apparet major ratio ante professionem quam post illam.

5. *Contrarium opinantur alii.* — Contrariam nihilominus sententiam tenent aliqui, et tribuunt Navar., d. c. *Statuimus*, seu comment. 4, de Regular., n. 10, in princip., citanti glossam, quam dicit esse receptam in c. *Cum singula*, § *Prohibemus*, verb. *Canonikus*, de Præben., in 6. Sed illa glossa, si attente legatur, hoc non dicit; verba enim ejus sunt: Si transiret ad laxiorem sine causa, solus Papa dispensat, cum sit contra jura; in quo non est recepta, quia et Panorm. supra, et in c. *Non est*, de Voto, et ipse Navar. ibidem, contrarium docent. Et merito, quia neque ipse Papa in hoc potest dispensare sine causa, quia dispensatio in voto neque ex toto, neque ex parte fieri potest sine causa. Dum vero glossa illa addit illi exclusivæ restrictionem illam *sine causa*, significat cum causa non solum Papam, sed etiam Episcopos posse dispensare in transitu ad laxiorem religionem, de quo nihil aliud expresse dicit. De transitu vero ad æqualem dicit, abbatem seu prælatum religionis posse ex causa ad illam dispensare. Præterea, idem Navar. ibid., § 5, expresse refert priorem sententiam, quam amplectitur, et dicit esse communem, explicatque, quod prius dixerat, intelligendum esse de potentia dispensandi sine causa quoad forum exterius. Et ita etiam videtur interpretari prædictam glossam, in quo non immeror, dummodo pro certo supponatur, talem dispensationem, sine causa datam, iniquam esse et fortasse nullam, ut sequenti capite dicam. Cujuscumque vero fuerit illa sententia, potest suaderi primo ex usu Ecclesiæ, qui esse videtur, ut in hujusmodi casibus fiat recursus ad Summum Pontificem. Quod etiam juvari potest ex illa regula c. *Majores*, de Baptismo, quod graviores Ecclesiæ causæ ad Summum Pontificem reservantur. Inter quas non immerito numeratur transitus ab una religione ad aliam laxiorem. Secundo saltem quoad Mendicantes

hoc videtur statutum a Martino IV, Extravag. 1, de Regularib., inter communes; ubi prohibentur regulares transire ad quamecumque religionem monachorum sine facultate Summi Pontificis. Generalius vero et expressius Concilium Tridentinum, sess. 23, c. 19, de Regularib., sic statuit: *Nemo etiam regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem*; quæ verba habent vim reservandi et tollendi quamecumque similem facultatem, etiam si antea esset; alias non essent efficacia ad id quod disponere intendunt.

6. *Resolutio vera est, priorem sententiam esse veram, attendendo jus antiquum, et commune.* — Circa has sententias mihi quidem videtur priorem recte procedere jure antiquo et communi, quia nihil invenio in eo dispositum, quod illi obstet. Quod autem de consuetudine afferebatur, incertum est, et non videtur verisimile, cum tot graves auctores, quos nec consuetudo, nec virtus ejus latere poterat, illam sententiam docuerint. Neque unius vel alterius translatio ad laxiorem religionem videtur esse res tanti momenti, ut propter solam rei gravitatem debeat censeri reservata, si aliunde non constet. In præsentem autem non constat de tali reservatione. Solum potest urgere ratio supra indicata, quia per professionem religio acquirit jus in religiosum, et ideo non videtur sine suo consensu posse illo privari. Quæ ratio non solum de laxiori, sed etiam de æquali probaret; imo et contra potestatem Summi Pontificis fieri posset. Respondetur ergo imprimis, hanc dispensationem non posse dari sine justa causa, qua existente prælatus dispensare potest circa personam religiosi, sicut potest circa alia bona religionis, præsertim quia hoc vinculum religiosi cum religione totum ordinatur ad majus obsequium Dei, majusque bonum spirituale ipsius religiosi. Causa autem justa in præsentem casu semper debet respicere hujusmodi fines, et ideo in eo casu præsumitur religio consentire; et si non consentiret, censeretur irrationabiliter invita. Quod quidem procedit non solum in Pontifice, sed etiam in Episcopo respectu suorum subditorum, quia habet ordinariam potestatem in omnes non exemptos. At vero in prælatis religionum exemptarum, quia potestatem habent juxta peculiare jus uniuscujusque religionis, ex illo judicandum est, an possint uti hac potestate sine consensu capituli, vel solum cum illo. Hæc dicta sunt de religiosis ante Concilium Tridentinum.

7. *Secundum jus novum, neque Episcopus, neque prælatus religionis potest dispensare in hoc voto cum religiosis professis.* — At vero, secundum novum jus ejusdem Concilii, dicendum censeo neque Episcopum, neque prælatum religionis posse in hoc dispensare. Omitto statutum Martini IV, in dicta Extravag, quia nec generale est, nec proprie tractat de hoc puncto, sed de transitu Mendicantium ad monachales ordines, quem prohibet, et in hoc suam vim retinet. Concilium autem Tridentinum generaliter prohibet transitum ad laxiorem ordinem prætextu cujuscumque facultatis, quæ verba omnem licentiam et dispensationem a Concilio irritabilem comprehendunt. Nam omnis dispensatio et licentia facultas quædam est; et dum Concilium vetat vigore illius transitum fieri, manifeste tollit ei hujusmodi vigorem, quod est illam irritare, et potestatem conferendam auferre. Hinc Gregorius XIII, in quadam Bulla, quæ incipit *Cum alias*, anno 1582, 22 Septembris, Societati concessa, specialem facultatem concedit ejus Generali, ut possit eam dare religiosis ejusdem ordinis, etiam professis, ut ad quemvis alium vel mendicantium, vel non mendicantium pariter, laxioris aut arctioris observantiæ ordinem per ipsum præpositum illis præscribendum transire valeant. Quam potestatem Generali concessam aperte sentit Pontifex esse extra jus ordinarium, et adeo singularem, ut etiam noluerit participari ab aliis religionibus ex vi generalis communicationis, quam plures habent in privilegiis aliarum, prout in eadem Bulla expresse declaravit. Ergo signum est, sine facultate Pontificis non habere Generales religionum hanc potestatem, et consequenter neque Episcopum circa religiosos sibi subditos; est enim eadem ratio. Unde ad difficultatem positam negatur sequela. Ad probationem autem respondetur, hoc non provenire ex generali reservatione voti simplicis religionis, sed ex peculiari reservatione voti solemnis, seu professionis, aut actualis vinculi status religiosi jam suscepti; quod vinculum voluit Ecclesia esse magis reservatum non solum quoad substantiam, seu genus status, sed etiam quoad speciem, seu perfectionem ejus. Solum superest advertendum, Concilium solum loqui de laxiori religione; unde quoad transitum ad æqualem manet hæc res in dispositione antiqui juris, et in eo casu habet locum prior opinio stando in jure communi, quia si aliud statutum fuerit jure particulari alicujus religionis, illud servandum est.

8. *Prælati religionis quando possint cum subditis dispensare in voto transeundi ad arctiorem religionem.* — Atque hinc etiam fit, ut possint prælati religionis cum suis subditis dispensare in voto transeundi ad arctiorem religionem, priusquam transeant. Si vero jam sunt translati, et in ea sunt professi, non poterunt cum eis dispensare, ut ad priorem redeant. Prior pars sequitur ex præcedenti assertionem, quia illud votum est simplex, et non reservatum; et alias hi prælati, respectu suorum subditorum, quoad hanc partem æquiparantur Episcopis; et ita consequenter docuerunt Palud., Antonin. et Sylvest. supra, et Sot., lib. 7 de Just., q. 3, art. 1. et q. 4, a. 3, et Navarr., d. comment. 4, de Regularib., n. 22, in fin., et lib. 3 Consil., tit. de Voto, cons. 21. Et utroque loco refert pro hac sententia Cajet. 2. 2, q. 189, art. 8, vel q. 88, art. 8. Sed in priori loco nihil dicit, in alio vero solum ait, tale votum religiosi esse firmum, nec posse a prælato irritari. De dispensatione autem nihil dicit in particulari, sed generatim ait, prælatum religionis habere omnem potestatem dispensandi cum subditis, quam habet Episcopus erga suos, quod est fundamentum hujus illationis, ut diximus.

9. *Votum religionis arctioris factum a seculari, non potest dispensari jure ordinario a prælato religionis laxioris, in quam postulat recipi.* — Potest vero dispensari propter privilegium concessum multis religionibus. — Ultimum dubium in hac materia esse potest de hoc voto ingrediendi arctiorem religionem, prout fieri potest ab aliquo seculari, antequam religiosus fiat, utrum possit dispensari a prælato religionis laxioris, in quam postulat recipi. Cui respondeo, certum esse jure ordinario non posse, quia persona, quæ illud habet, nondum est illi subdita. Dico jure ordinario propter aliquas religiones, quæ habent a Summo Pontifice privilegia ut illas ingrediens satisfaciatur suæ obligationi, etiamsi votum habeat ingrediendi strictiorem religionem. Quod dupliciter potest Papa concedere, uno modo concedendo superioribus talis religionis facultatem dispensandi quoad hanc partem, cum eo qui recipiendus est. Et hoc modo concessit hoc privilegium prælatis Sancti-Benedicti Eugenius IV, ut refertur in compendio Mendicantium, tit. de Dispensat., § 28. Et refert etiam Emmanuel Roderic., tom. 1 Quæst. Regular., quæst. 25, art. 6. Simili privilegio uti possunt prælati Societatis Jesu, juxta formam tamen præscriptam in Compendio suorum privilegio-

rum, verbo *Commulatio*, 3, ubi additur: *Si quis a Societate ante professionem recesserit, dispensationem cessare, ac iterum obligationem talis voti reviviscere.* Juxta vero hæc et similia privilegia, necessarium est ut volens irritare religionem suam votum declaret superioribus ejus, ut ab eis possit dispensari: quia quando dispensatio committitur prælatis, requiritur eorum actus et voluntas, quæ sine cognitione voti esse non potest. Addit etiam Rodericus supra, necessarium esse justam causam, quia nec Papa potest sine causa dispensare cum aliquo, ut ex arctiori religione transeat ad laxiorem, ut Sylvest. et Antonin. docuerunt. Et expresse Panorm., in c. *Non est*, de Voto, et Navarr., comment. 4, de Reg., n. 10. Sed quomodo hoc verum sit statim dicam. Alio ergo modo potest Papa concedere hoc privilegium immediate ipsi religioni, ita ut non committat dispensationem prælatis talis religionis, sed ipse immediate et veluti ipso jure dispenset cum eo qui vult talem religionem intrare, etiamsi votum alterius religionis strictioris habeat. Et tunc necessarium non erit ut qui petit habitum talis religionis, suum votum explicet; satis enim est ut sciat religionem illam habere tale privilegium, et ideo oportet verba privilegii diligenter expendere, ut intelligantur an committant dispensationem, vel ipso facto dispensent.

10. *Habens votum religionis strictioris non peccat ingrediendo laxiorem, si religio ad id habeat privilegium.* — Sed quæres an tunc peccet, qui ingreditur religionem laxiorem cum tali voto. Distinguendum videtur juxta præcedentem sententiam; nam, si absque causa rationabili id faciat, non excusabitur a peccato propter privilegium, quia Papa ipse non potest in hoc dispensare sine causa; si vero ex causa fiat, tunc ratione dispensationis quam secum affert privilegium, nulla erit culpa. Ego tamen indistincte assero, licitum esse tunc ingredi talem religionem absque alia causa præter voluntatem ingredientis, maxime si id faciat intuitu majoris boni spiritualis, quia mirum ita est affectus, ut speret magis se in ea religione profecturum, quamvis alioqui laxior sit; nam in hoc jam continetur moralis quædam causa sufficiens. Verumtamen etiamsi motivum non sit adeo spirituale, sed solum ex quadam humana fragilitate velit aliquid de rigore vitæ remittere, supposito privilegio Pontificis, non existimo in eo facto peccare. Nam illud privilegium absolute concessum validum est, et credendum est esse rationabile

et sanctum, et non postulat specialem causam ex parte personæ particularis, sed ipsum favorem religionis supponit, ut sufficientem causam; ergo licite potest quis uti illo privilegio, ut sonat; neque est cur illi imponamus hoc onus quærendi aliam causam. Itaque censeo quod, licet Papa non possit absque ulla causa talem compensationem facere, sufficere tamen causam publicam pertinentem ad commune bonum, et favorem hujus religionis, etiamsi in singulis individuis non intercedant novæ rationes seu causæ.

11. *Etiam in eo casu potest prælatus cum eo licite dispensare, si sit utilis religioni.* — Propter quod idem censeo, quando privilegium committit dispensationem superiori religionis; nam ut ille juste dispenset, non tam debet quærere causam quæ cedat in favorem petentis, quam in favorem suæ religionis. Unde, si judicet personam illam esse convenientem et aptam suæ religioni, potest cum illa licite dispensare absque alia speciali causa, quia hæc est sufficiens, et juxta intentionem concedentis privilegium. In quo differentia notanda occurrit, inter eum qui jam est professus religionem arctiorem, et eum qui solum habet votum illius; nam cum priori non potest sine causa dispensari, ut ad laxiorem transeat; nec Papa posset concedere privilegium, ut hoc facere liceat sine causa, quia tale privilegium nec cederet in bonum particularis personæ, nec totius religionis, sed potius esset in destructionem ejus; ergo relaxatio voti ex vi illius facta non posset esse valida. At vero quando nondum præcessit professio in religione strictiori, quamvis præcesserit votum simplex, facilius potest alteri religioni privilegium concedi, ut in ea censeatur impleri votum de arctiori religione, quia tunc uni religioni fit favor, et alteri non fit præjudicium, tum quia nondum est illi proprium jus acquisitum; tum etiam quia regulariter non expedit invitum aliquem recipere, seu illum qui ad laxiorem vitam propensus est. Panormitanus ergo et alii loquuntur de illo qui jam est professus in arctiori religione, et de illo negant posse per Pontificem mutari ad laxiorem sine causa. Quibus addo, quod ipsi, ut credo, non negarunt, non esse semper necessarium ut hæc causa sit ex parte religionis ipsius, scilicet, in bonum vel commodum ejus, sed posse sufficere ex parte alterius religionis, scilicet, vel illius a qua fit mutatio, si illi expediat talem personam a se remove; vel illius ad quam fit mutatio, quod majorem quidem cau-

sam requirit, propter jus quod jam habet acquisitum altera religio; aliquando tamen potest esse sufficiens, ut si talis sit persona, quæ communi bono alterius religionis multum profutura sit.

## CAPUT IX.

## QUOMODO COMMUTATIO HUIUS VOTI RELIGIONIS SEU ASSUMENDI STATUM RELIGIOSUM SIT FACIENDA.

1. Non tractamus hic de potestate faciendi talem commutationem; jam enim supra ostendimus hoc votum reservatum esse, tam quoad dispensationem quam quoad commutationem ejus. Nunc ergo supponimus dari hanc facultatem sive ex privilegio, sive alio modo, et inquirimus quomodo sit executioni mandanda. In hoc ergo voto, de se perpetuo, regulariter loquendo, existimo necessariam esse potestatem miscendi dispensationem, ut commode fieri possit commutatio, quia aliter difficile est attingere æqualitatem, non est tamen simpliciter impossibile, et ideo ad illud etiam extendi potest potestas pure commutandi. Deinde, generatim loquendo, si votum sit perpetuum, et possit commode in aliud ejusdem ordinis seu perpetuum commutari, consulendum est, ita enim facilius attingi poterit æqualitas.

2. *In quas res commode possit commutari.* — Dico ergo, ut votum religionis commode commutetur, debere imprimis commutari in votum sacerdotis, vel continentiae perpetuae, additis aliquibus operibus religionis et misericordiae, quibus suppleatur, si quid deerat æqualitati. Debent autem illa opera aut imponi ut perpetuo etiam durent; aut talia esse, ut eorum magnitudine duratio compensetur. Aliqui etiam putant, hoc modo votum ingrediendi arctiorem religionem posse commutari in votum ingrediendi et perseverandi in religione laxiori. Nam quod illud prius videtur excedere in perfectione religionis, compensatur in altero ratione majoris perpetuitatis in objecto ut cadente in tale votum; sed hoc non sufficit ad æqualitatem, unde nisi aliunde suppleatur, vel dispensetur, non existimo esse licitam talem commutationem, ut commodius inferius ostendam.

3. *Per potestatem generalem commutandi vota, potest commutari votum religionis particularis, si concurrant aliae conditiones necessariae.* — Potest autem in presenti dubitari, an

per generalem potestatem commutandi vota possit votum particularis religionis commutari, vel in æqualem, vel in laxiorem, supplendo aliunde inæqualitatem. Hoc autem dubium ex dictis resolutum est. Dicendum est enim talem commutationem fieri posse ex vi illius generalis facultatis, si aliae conditiones necessariae concurrant. Ratio est, quia ibi non commutatur votum religionis ut sic, sed ut est talis vel talis religio, quod reservatum non est. Et ideo potestas ad illam commutationem sub generali concessione comprehenditur. Qua ratione diximus supra, Episcopum sua potestate ordinaria posse facere hanc commutationem etiam admista aliqua dispensatione, quæ substantiae religionis non repugnet. Generalis autem potestas commutandi comprehendit omnia vota, quæ Episcopus potest commutare, excepto quod per illam non potest misceri dispensatio, si solum ad commutandum detur.

4. *Votum pœnale potest commutari in materiam minus gravem.* — Præter hæc vero in omnibus votis, et maxime in hoc et aliis perpetuis, observandum est an fuerint a principio pœnalia, quamvis jam obligent propter crimen jam commissum (nam de statu ante conditionem impletam jam dictum est); tunc ergo imprimis considerandum est an talia vota comprehendantur sub potestate commutandi, juxta principia posita in tractatu de Voto, lib. 6, c. 23; nam quoad hoc eadem ratio est de commutandi potestate ac dispensandi, servata proportione. Deinde, supposita potestate, non immerito dubitari potest an tale votum, ex eo solum quod non obligat ad illam materiam nisi ut pœnam, possit in aliquid minus commutari; de quo nihil invenio ab auctoribus dictum. Mihi tamen probabiliter videtur posse id fieri, si materia illa, in quam fit commutatio, non multum distet a priori; et alioqui est gratior, et libentius fiet a pœnitente. Ut, verbi gratia, si pœna imposita fuit intrandi strictam religionem, et commutatio fiat in aliam aliquantulum minus strictam, ad quam pœnitens libentius inclinatur. Et quidem si commutans habeat potestatem miscendi dispensationem, res est clara, quia illa est sufficiens causa. Si vero potestas sit ad puram commutationem, consideratione dignum est, obsequia coacta non esse ita grata Deo, sicut voluntaria. Et ideo, licet una illarum religionum sit perfectior alia, nihilominus ingressum in inferiori magis voluntarie susceptum, et cum majori spe fructus, mora-

liter reputari posse vel majus vel æquale Dei obsequium; ideoque commutationem illam fieri posse non tantum titulo admistæ dispensationis, sed etiam puræ commutationis.

5. Dices: hac ratione posset quodlibet votum in minus commutari, si vovens proponat rem illam promissam jam esse sibi valde coactam, et aliam futuram esse magis spontaneam, atque ex hac parte suppleri, quod deficit ex parte materiae. Hoc autem admittendum non est; nam est fraudulentum et repugnans fidelitati promissionis factæ, maxime si illud involuntarium omnino liberum sit, seu potius non voluntarium, ut videtur supponi in ratione prædicta. Nam si tale involuntarium sit aliquo modo naturale ex passione aliqua, vel difficultate rei, illud non minuit meritum, si per contrariam voluntatem vincatur; et ideo illud conferre non potest ad supplendam inæqualitatem commutationis, licet ex eo possit aliquando sumi ipsa ratio miscendi dispensationem.

6. *Instantia allata solvitur.* — Respondeo, non esse parem rationem de aliis votis, quorum materia a principio fuit per se intenta et volita; nam involuntarium postea superveniens est ex sola mutatione voluntatis, quæ non confert ad minuendam obligationem vel honestatem actionis promissæ, ut promissa fuit. At vero in voto pœnali res imposita in pœnam a principio non fuit per se intenta, nec per se volita; et ideo ex vi talis modi promittendi non videtur exigi, ut res illa ita spontanee et propter se fiat, sed potius ut sustineatur per modum pœnæ, quæ vitari non potest. Et ideo quando fit commutatio in aliam materiam per se volitam et intentam, non videtur fieri commutatio in sola materia, sed etiam in modo vovendi, et offerendi illam Deo, qui sine dubio melior est, et gratior Deo, ut facile patebit, duo vota similia secundum se comparando, scilicet, votum pœnale strictæ religionis cum voto absoluto minus strictæ. Videtur ergo hæc sententia probabilis, quamvis, quia incerta est, securius semper erit æqualitatem inter materias servare, quoad fieri possit.

7. *In commutatione voti religionis æqualitas quomodo consideranda et facienda.* — Ultimo ergo in modo computandi hanc æqualitatem in voto religionis, non satis constat quid considerandum sit in materia talis voti, ut per illam compensari debeat. Tria enim in materia talis voti considerari possunt, scilicet, professio ipsa, quæ tria vota substantialia includit; et onera per se ac necessario conjuncta

cum tali statu præter materias trium votorum, ut esse potest pensum recitandi Horas canonicas, et si quid aliud est hujusmodi; ac denique asperitates aliqua religionis. Deinde votum esse potest vel religionis in genere, vel alicujus in particulari. Quando ergo votum commutandum est de religione in genere, satis fere est bonitatem trium votorum et professionis considerare, ut aliquid ei æquale imponatur, quale erit perpetua castitas, si fieri possit, vel saltem conjugalis cum aliquibus perpetuis vel magnis elemosynis juxta personæ potestatem, et cum aliquibus etiam orationibus, et maxime cum aliquo frequenti usu sacramentorum confessionis et communionis, juxta determinationem adhibendam prudenti arbitrio confessoris.

8. *In hoc voto commutando ut æqualitas servetur, debet addi aliquid ratione Horarum canonicarum.* — Aliquid etiam videtur addendum ratione Horarum canonicarum, quarum orationi perpetuæ quodammodo se obligaverat ex vi talis voti. Sunt autem qui putent posse hoc onus excusari, quia votum illud impleri posset suscipiendo statum fratrum non sacerdotum, qui ad illud onus non tenentur. Sed hoc non caret scrupulo, quando persona et a principio talem intentionem non habuit, et moraliter certo scit, si ingrederetur religionem, non esse assumpturum illum statum, consideratis conditionibus personæ. Deinde qui hoc titulo vellet illo onere liberari, deberet considerare humilitatem et laborem illius status religiosi, et aliquid proportionale ratione illius in commutationem suscipere.

9. Verisimilius posset excusari hoc onus, advertendo illud non esse universale omnium religionum. Nam religiosi milites Sancti Joannis illud non habent; et votum illud religionis in genere posset in tali religione sufficienter impleri. In Societate etiam Jesu religiosi non habent hanc obligationem, donec in sacris ordinentur. Ergo in illo genere non includitur sufficienter talis obligatio. Quia vero regulariter comitatur statum religiosum, et si in una vel altera invenitur exceptio, est propter particulares causas, ideo non omnino videtur eludendum hoc onus a tali computatione, nisi considerando et æstimando alias particulares obligationes, quas loco illius habent illæ particulares religiones, quæ tali onere carent, sicut dicebamus in priori consideratione.

10. *In voto religionis commutando, jejunium et alia austeritatis opera computanda sunt, prout in aliqua religione minus austera*